



Dissertatio obstetricio-medica inauguralis, continens nonnulla de abortu arte provocato

<https://hdl.handle.net/1874/301493>

3.

DE ABORTU ARTE PROVOCATO.

OTTOVON TIEBEL FURSTENBERG

3.

DISSERTATIO OBSTETRICIO-MEDICA INAUGURALIS,
CONTINENS
NONNULLA DE ABORTU ARTE
PROVOCATO,
QUAM
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI
PETRI HARTING,
MED. ET ART. OBST. DOCT. ET MATH. ET PHIL. NAT. PROF. ORD.
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,
ET
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,
Pro Gradu Doctoratus
SUMMISQUE IN
MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,
TRUDITORUM EXAMINI SUBMITTET
HERMANNUS LUDOVICUS BRAAM,
Nickeria-Surinamensis.

A. D. XXV MENSIS JUNII ANNI MDCCCLVIII, HORA VI DIMIDIATA.

TRAJECTI AD RHENUM,
APUD POST UITERWEER & Soc.
MDCCCLVIII.


Ex officina typographica J. G. ANDRIESSEN.

LEVIRO OPTIMO DILECTISSIMO

BARNET LYON,

JURIS UTRIUSQUE DOCT.

SACRUM.



PRAEFATIO.

Curriculo academico finito, ad summos in Medicina honores capessendos, lex Academica nobis imponit necessitudinem dissertationis conscribendae, et quidem lingua Latina. Dubitanti quamnam eligerem dissertationis materiam, ut huicce jussui satisfacerem, inito consilio cum Viro clariss. L. C. VAN GOUDOEVER, promotore aestimatissimo, maxime mihi arrisil disserere de Abortu arte provocato; quod feci, - sed quomodo fecerim benevolus ipse videat Lector. Nil novi me dedisse probe scio, collegi tantum, quae apud varios scriptores de meo argumento invenerim, dum propria experientia hac in re, ut fere per se patet, mihi deest.

Quod reliquum est, pius mihi incumbit officium, hac data occasione, gratissimo animo beneficia

memorare, in me collata a Praeceptoribus, in primis in Academia Groningana Viris clariss. J. HISSINK JANSEN et F. Z. ERMERINS et in Academia Ultrajectina G. J. LONCQ C. J. FIL. et L. C. VAN GOUDOEVER.

Vos igitur, Viri clarissimi, gratias meas quam maximas accipite pro multis beneficiis, quae in me contulistis. Vestrorum meritorum numquam immemor erit animus grati discipuli.

Tibi imprimis, Vir clar. VAN GOUDOEVER, pro tot et tantis, quae in me contulisti, benevolentiae testimoniosis, publice gratissimum obtestor animum.

Vos tandem, Committones, qui studiorum mihi fuistis socii, valete! Cum multis vestrum amicitiae conjunctus sum vinculo, quod magnum nobis attulit cum utilitatem tum jucunditatem. Mancat amicitia illa, quam alma Mater jam diu sacravit, quaeque in posterum quoque omnium, quae bona sunt et jucunda, largus, Amici carissimi, nobis sit fons!

C A P U T I.

ABORTUS ARTE PROVOCATI DEFINITIO.

Pro variis graviditatis periodis, in quibus locum habet partus, diversae denominationes acceptae sunt. Qui partus intra 28 priores graviditatis hebdomades obtinet, vulgo abortus dicitur, quia ad hoc usque tempus foetus in genere, etiamsi forte vivus nascatur, vitam conservare non potest. Sunt autem alii obstetricatores, qui abortum vocant talem partum, qui intra 16 priores hebdomades graviditatis obtinet, dum ab hoc inde tempore usque ad hebdomadem 28. de partu immaturo loquuntur.

Consentimus vero doct. CREDÉ¹⁾, dicenti hancce distinctionem inter abortum proprie dictum atque partum immaturum praxi obstetriciae prorsus inutilem esse, nec processu physiologico definito niti.

Ubi igitur graviditatis decursus intempestive interrumpitur, neque foetus a matre separatus vitam conservare potest, abortus obtinet.

Prouti sponte, i. e. naturae ope, abortus oritur, sic provocari quoque potest et provocatur non raro.

1) Klinische Vorträge über Geburtshilfe von C. S. F. CREDÉ,
1853, pag. 415.

Ubi de abortu arte provocato sermo est, de eo tan-tum abortu agitur, qui a medico vel obstetricatore provocatur, ut matris vita servetur, non vero de eo, qui vel ab ipsa muliere gravida vel ab aliis scelesto scopo provocatur.

In abortu arte provocato graviditatis decursus vario tempore hac aliave methodo interrumpitur, foetus jam magis minusve evolutus in matris salutem expellitur. Est itaque res maximi momenti, de qua multum disputatione inter se medici, num bona sit ac honesta, an mala et prava. Nos quidem quaestione dijudicare non poterimus; id autem affirmare nos posse credimus, obstetricatorem, qui ut matris vitam conservet abortum provocaverit, non habere quod sibi imputet, neque damnandum esse, nec iurandum sibi impositum eum violavisse.

CAPUT II.

ABORTUS PROVOCATI HISTORIA.

Non mirum est obstetricatores antiquis aevis pae-primis attendisse ad ea, quae natura peragere possit et quomodo ea peragere soleat.

Dum ars obstetricia, uti aliae medicinae partes, nebulis circuundata erat, obstetricatores fere nil aliud facere nisi naturam observaro potuerunt.

Quamdiu forcipes obstetriciae, vectes, unci, aliaque instrumenta ad armamentarium obstetricium pertinentia, incognita erant; quamdiu versio viventis foetus non perficiebatur, neque sectio caesarea in vivis instituebatur, non mirandum obstetricatores necessitate coactos fuisse ad finem usque observare ea, quae naturae agebat. Natura illis magistra esse debebat; natura ipsa illis non raro viam monstrabat, remedium indicabat, quo in casu difficulti utendum erat. Observabant naturam non raro periculum avertere, ubi mors fere certa videbatur.

Abortum natura provocatum observabant, gravissimosque morbos aliasque periculosas conditiones modo sublata videbant, quid mirum eos jam cito de abortu arte provocando in talibus periculosis casibus cogitasse. Omne nimirum quod vivit et respirat maxime iis intererat, foetus vita iis longe minus quam matris vita valebat. Ea opinione ducti antiqui medici abortum provocare suaserunt eumque in certis quibusdam casibus praescripserunt. Neque iis inculpandum est, quod perversi homines remedio salutari postea abusi fuerint et vel lucri cupiditate vel alia causa perducti abortum provocaverint.

Antiquissimus auctor, qui, quantum scimus, de abortu provocato mentionem facit, est HIPPOCRATES, dicens: „Mulieri gerenti utero vena secta abortionem facit, idque potissimum, si foetus grandior fuerit;” et porro: „Mulieri utero gerenti si alvus multum

profluat, abortionis periculum est.”¹⁾ Disserit quoque de vi medicamentorum ad abortum provocandum.

In libro quoque de aëre, aquis et locis passim inveniuntur loca, e quibus effici potest abortum provocatum, remediaque quibus provocari potest HIPPOCRATI nota fuisse. Hoc enim inter alia concludere possumus e jurejurando ab ipso discipulis praescripto, in quo sequentia occurruunt verba: „neque mulieri pessum subdititium ad foetum corrumpendum exhibebo.”

Dein in censem venit MOSCHION, qui HADRIANI imperatoris tempore vixit²⁾). In omni casu abortum provocare suadet, ubi excrescentiae vel alia obstacula ad uteri ostium maturi foetus expulsionem impedirent, quia tali in casu infans moriri deberet et mulier quoque in summo periculo versaretur.

THEODORUS PRISCIANUS in libris suis quoque de abortu provocato loquitur³⁾). Tertium scilicet sectionem quarti libri hisce verbis incipit: „Abortivum dare nulli fas est;” at vero affirmat id licere in morbis uteri ut gravidarum vita servetur; hancce agendi rationem comparat cum arboris ramorum mortuorum amputatione, ut arbor ipsa incolumis maneat, vel cum oneris jactura durante tempestate ut navis servetur.

Sequitur AETIUS AMIDENSIS, JUSTINIANI medicus,⁴⁾ qui in libris suis medicinalibus abortum memorat.

1) HIPPOCRATIS Aphorism. Sect. V, aph. 31, 34.

2) MOSCHIONIS etc. edidit F. O. Dewez. Viennae 1793. 8.

3) THEODORI PRISCIANI Rerum medicinalium libri quatuor.

4) AETII AMIDENSIS libri medicinales sedecim.

Legimus nempe in libro decimo sexto, in cuius capitibus 16—21 de abortu agit; „satius est foetum corrumpere quam excidere.” Abortus provocandi indicationem hisce verbis definit: „Parvitas uteri, ut ob id foetum perficere non possit, sive collie jussdem angustia, sive quod tuberculum aut tale quiddam in ejusdem ostio exortum sit, quod partum impedit.” — Non tantum hisce temporibus in talibus casibus abortus provocabatur, conabantur quoque conceptionem impedire quin sterilitatem producere. Mentionem quoque facit AETIUS de ASPASIA quadam, famosa, ut videtur, obstetricie, cujus dexteritas ad abortum provocandum late nota erat. In capite allati libri 18, narrat ASPASIAM gravidis abortionem cupientibus vehementiores motus suadere vel ut onera graviora sublevarent, aut in balneo abdomen fricarent. Iis porro suadet balneis e vapore uti, vel ut venam sibi secare facerent, ut pessarium in vagina mitterent, ac praeterea multa alia interna remedia. At vero primum remediorum mite agentium usum ASPASIA suadet, quoniam talis abortus arte provocati pericula illi non plane ignota erant, dicit nempe:

„Neque tamen temere hoc faciendum est: omnis enim foetus corruptio periculosa est, praesertim in muliere robusta, uterumque duriorem ac densiorem habente.”

Inter causas partus difficilis ab AETIO memorantur: ossa pubis nimium conserta, quae pariendi difficultatem faciunt, dum in partu dilatari non possunt, et nimiam lumborum cavitatem.”

Praxis obstetricia hisce temporibus obstetricibus solis fere confidebatur, praeterea iis mandata erat medicamentorum praescriptio et canticum recitatio ad leviorum reddendum et promovendum partum, et filiarum collocatio, quia optime dijudicare possent, quaenam personae sibi convenienter optime ad procreandos sanos liberos.

Inter Arabos primo loco nominandus est SERAPHION seu JANUS DAMASCENUS¹⁾, qui unguenti formulam praescripsit ad abortum provocandum destinati, constantis e partibus aequalibus myrrhae, hellebori nigri, opoponacis et fellis taurini. De quo unguento dicit: „Supponat ipsum mulier; descendet enim tunc embryo, sive sit vivus sive mortuus.”

MOHAMED ERN ZACHARIAH ABU BEKR ARRASI, vulgo RHAZES dictus, abortui caput integrum dicavit: „de illis, quae prohibent impregnari et quae aborsum faciunt²⁾.”

Postea in censem venit AVICENNA³⁾, cui ob insignia in medicina merita nomen „principis medicorum” fuit tributum. Medicinam descripsit in quinque libris, in quibus etiam de arte obstetricia egit. In tertii libri capite 8—12. de abortu loquitur, et memorat quando et quomodo in abortus provocatione agendum sit: „cum praegnans est puella parva, supra quam timetur mors ex partu.” Pelvis angustiam itaque quoque indicationem habet.

1) Practica Jo. SERAPHIONIS etc. Lugd. 1525. 4.

2) Liber RHASIS ad ALMANSOREM. Venet. 1500. fol.

3) AVICENNAE liber canonis etc. Venet, ap. Junt. 1544.

Multa remedia sive dynamica sive mechanica enumerat, ad abortum provocandum apta: inter alia venaesectiones, onerum graviorum sublevationem, abstinentiam a cibis, ostii uteri irritationem, per calatum vel chartam involutam vel ligni frustulum in canalem colli introducta excitatam, porro multo quoque remedia ore sumenda. Describit tandem instrumentum, cuius ope fluida in uteri cavum injici possunt ad provocandum abortum: „instrumentum triangulatae extremitatis, longum habens collum, secundum mensuram longitudinis colli matricis mulieris quae curatur, et taliter, ut ingrediatur os matricis et sentiat mulier quod jam pervenit in spatium intra matricem, et injiciatur per ipsum, illud quod interficit, et quod lubricat, et quod extrahit.”

Persa ALI BEN ABBAS¹⁾ amplum de medicina opus reliquit, permagne aestimatum, quod postquam AVICENNA canonem suum edidit, neglectum quidem, attamen ab eo nequaquam superatum fuit.

Integrum caput abortui consecrat, sub titulo: „de abortientium mulierum medela.” Feminis quibus partus periculosus foret: „propter parvas matrices aut vulvas strictas,” sive propter conditionem morbosam non solum ALI graviditatem dissuadet, verum etiam remedia ad graviditatem impediendam indicat capite 28.: „de his, quae conceptum fieri prohibent.” Verbis: „parva matrix et vulva stricta” hoc loco quoque pelvis angustia indicari videtur.

1) Liber artis medecinae etc. quem STEPHANUS ANTIOCHENUS ex Arab. in Lat. transtulit. Venet. 1492. fol.

CHALAF EBN ABBAS ABU'L KASEM ALZAHARAVI, vulgo ABULCASIS dictus¹⁾ , jam temeram abortus provocationem vehementer oppugnat. In operis capite 17. agit: „de cautela medici, quod non decipiatur a mulieribus in provocatione menstrui, ne destruatur conceptus.” et medicis adhortatur ne audiant homines, „quibus nulla ratio neque lex inest,” quando eos permovere conarentur ut abortum provocarent.

Jam ex ABULCASIS verbis patet, abortus provocationem pravo scopo tunc temporis valde consuetam esse. Remedium, in salutem matris inventum, quam ipsa natura homines docuerat, admodum temere adhiberi amplius adhuc apparebat e libello: „de secretis mulierum” dominicani ALBERTI MAGNI²⁾ , qui memorat puellas praeceptis corrumpendas, tum quoque „doctas mulieres et lenas in hac arte” de industria abortum provocare, remediaque, quibus hunc in finem utebantur, describit. Tristis huius abusus causae pro parte reperiendae sunt in eo, quod scientiae fere unice a monachis colerentur, atque igitur inter monasteriorum muros quasi occultae manerent, dum obstetricia praxis impune ab obstetricibus ignarisi exercitabatur. Praejudicata praeterea hisco temporibus opinio et falsus pudoris sensus non sinebant artem viris confidere, quae mulieribus tantum confienda videbatur in magnam noxiā parturientium. Nullo modo itaque mirandum, si viri docti tantum

1) ALBUCASIS de chirurgia Arabice et Latine. 2 tom. Oxonii, 1778 , 4.

2) ALBERTUS MAGNUS, de secretis mulierum. Francof. 1580. 8.

in rarissimis casibus ab obstetricibus consulerentur, quod certe eo minus obtinebat, quo doctiores istae obstetrices se aestimarent, et quo magis suam experientiam ac scientiam haberent.

Antiquos medicos tam facile ad abortum provocandum conclusisse in casibus, in quibus eum indicatum esse opinabantur, nemo mirabatur, praesertim si reputat foetum, quamdiu utero gerebatur, inanimum haberi. TERTULLIANUS¹⁾ quidem hanc sententiam oppugnabat in opere suo philosophico: de anima; GALENUS, ubi agit de quaestione: an animal sit id, quod in utero est; et LACTANTIUS in libro: de opificio Dei, cap. 17. hisce verbis: "non enim post partum insinuatur in corpus, ut quibusdam philosophis videtur, sed post conceptum protinus, cum foetum in utero necessitas divina formavit."

Vulgo tamen animum tantum postea corpori nato, vel dum nascebatur, insinuari credebatur. Talia quoque argumenta nil effecerunt ad rejiciendam abortus provocationem; tempore vero quo romani Pontifices summum exercebant imperium, abortus provocatio ex obstetriciarum operationum cohorte expellebatur, ita ut medicis vel obstetricibus eum provocare non amplius liceret. Longe vero abest, quin Pontificis iussu quoque abusus arceretur; provocabatur semper abortus, sed tantum a vilibus et mercabilibus manibus. Doctrina ab antiquissimis medicis culta et ad certum

1) TERTULLIANI opera etc. J. L. de la Cerd. Lutet. 1641.

evolutionis gradum perducta iussu illo quasi uno momento delebatur.

Primo quidem adspicere videbitur gratias agendas esse iis, qui abortus provocationem vetarent neque foetum in utero perverti sinerent; at vero si reputamus quaenam operationes abortui provocato deinde substitutae fuerint, fortasse aliter de re judicabimus. Quid enim substituebatur? Sectio caesarea vel embryotomia; haec ut per se patet abortui non praefferenda est, et de sectione caesarea quid dicemus? Ut foetus vita fortasse servaretur, mater certae fere morti dicabatur, in primis tunc temporis, quum operandi methodus longe imperfectior esset, quam nunc est.

Sic abortus arte provocatus non amplius inter operationes obstetricias numerabatur, etsi ROESSLIN¹⁾ foetu mortuo partum praemature excitare suaderet. Abortus arte provocatus pluribus contemtui esse pergebat, eo magis quoniam inexpertes obstetrices rudesque tonsores tam impudenter eum excitarent, ut JACOBUS RUEFF anno 1554 abusui sese opposuerit²⁾. GUILLEMEAU³⁾ et MAURICEAU⁴⁾ quidem, partum vi productum (accouchement force) in vehementibus gravidarum haemorrhagiis commendabant, uti inter alia effici potest ex sequentibus verbis,

1) EUCHARIUS ROESSLIN: der schwangeren Frawen und Hebammen Rosengarten. Strassburg 1522.

2) De conceptu et generatione hominis etc. JAC. RUEFF. Tigur 1554.

3) La chirurgie françoise etc. par J. GUILLEMEAU. Par. 1594.

4) Des maladies des femmes grosses etc. par FRANÇOIS MAURICEAU. Par. 1560.

quibus usus est Mauriceau: „qu'elle soit à terme ou non, qu'elle ait les douleurs de l'accouchement, ou qu'elle n'en ait aucunes.”

NICOLAUS PUZOS¹⁾ talibus in casibus ostium sensim aperire et membranas rumpere suasit, ut mitius et tutius dolores suscitarentur et partus promoveretur; at vero tempus nondum venerat, quo a via, quam tam diu secuti erant, discederent medici, atque operationem suadarent, illegitimam, inhumam atque religiosi obstantem habitam.

Anno 1697 Tubingis libellum EL. CAMERARIUS in lucem edidit, in quo ponit quaestionem: „An liceat medico pro salute matris abortum provocare?”

Jenae deinde apparuit anno 1710 opuscolum a J. HADR. SLEVOGT conscriptum: „Prolusio num maturus foetus servandae matris causa occidendum? aut abortus provocandus sit, ut mater gravida a magno morbo morteque liberetur?”

Uterque auctor quaestionem dijudicabat, utrum liceat in pelvis angustia abortum provocare ad matrem conservandam; manebant autem voces clamantis in deserto.

Anglicanis obstetricatoribus, sectionis caesareae eventum infelicissimum videntibus, contigit honos, ut abortum arte provocatum ab oblivione vindicaverint. Anno 1771 WILLIAM COOPER²⁾ praejudicatam hominum sententiam sequentibus verbis oppugnavit:

1) Traité des accouchements par N. PUZOS. Par. 1759. 4.

2) WILL. COOPER. Med. observ. and Inq. vol IV. Lond. 1771.

„I allow me, to propose the following question, viz.
 „in such cases where it is certainly known that a
 „mature child cannot possibly be delivered in the
 „ordinary way alive, would it not be consistent
 „with reason and conscience *for the preservation of*
 „*the mother*, as soon as it is conveniently can be
 „done, by artificial means, to attempt to produce
 „an abortion? ”

COOPER vincula sustulit, quae superstities hominum atque perversitas nobis imposuerant, atque docuit matris vitam nisi plus saltem non minus valere quam vitam foetus sex mensium.

Post COOPER obstetricator Edinburgensis JOHN AITKEN¹⁾ abortum provocare proposuit, rogans: „Nonne legitimum est ad evitandam embryotomiam propter pelvis angustiam, per quam vivus foetus transgredi non potest, iusto tempore abortum excitare.” Utriusque obstetricatoris exemplum in Anglia secuti sunt HULL²⁾, BURNS³⁾, DAVIS⁴⁾, BLUNDELL⁵⁾, BARLOW⁶⁾ et alii, quo factum est ut in Anglia hacce operatione non paucis casibus perficeretur. PAULUS SCHEEL⁷⁾ in Dania, FODERÉ, DUBOIS, CAZEAUX⁸⁾

1) JOHN AITKEN. Principles of midwifery. Lond. 1786.

2) HULL. Observ. pg. 97 et 454.

3) BURNS. Observ. on abortion. 2 ed. Lond. 1807.

4) DAVID. D. DAVIS Elements of operative Midwifery. Lond. 1825.

5) BLUNDELL. Principles. Lond. 1834.

6) BARLOW. Essays on surg. and midw. 1822.

7) Comm. de liq. amn. etc. natur. et usu. Hayn. p. 74.

8) CAZEAUX et DUBOIS. Univ. méd. 1852. 18. Gaz. méd. de Paris 7. Bullet de l'acad. nat. tom. XVII.

aliique in Francia viam iis monstratam ingressi sunt et in continente quoque Europae abortui provocato ianuam aperire conati sunt. In Germania MENDE primus fuit, qui hanc operationem in pelvi nimis augusta commendavit¹⁾. Dein KIWISCH²⁾ et SCANZONI abortum provocatum tuiti sunt et contra dubia et iniurias quoque praejudiciorum hominum defenderunt. In Belgia inter alios VAN HUEVEL³⁾ et SIMONART⁴⁾ de abortu provocato scripserunt.

Talibus viris praeeminentibus non mirum est abortum arte provocatum locum ipsi debitum recuperuisse, et inter operationes legitimas tandem receptam esse operationem, quae medio aevo sacerdotum anathemate tamquam illegitima, inhumana, religiosi contraria damnabatur, atque diu eadem poena, qua infanticidium puniebatur.

1) MENDE: Beitr. z. prüf. etc. ärztl. Mein. Greifsw. 1802. p. 64.

2) KIWISCH, Beitr. zur Geburtsh. Würzb. 1802. p. 104. SCANZONI. Lehrb. der Geburtsh. Wien 1855 p. 713.

3) Mem. sur les divers moyens propres à délivrer etc. Brux. 1842.

4) Journ. de Brux. Mai 1846.



C A P U T III.

DE ABORTUS PROVOCANDI METHODIS.

Quamdiu gentes per terram dispersi erant neque in urbibus se congregaverant, pater familias unicus et in omnibus rebus dominus erat. In domo sua iudex erat, vim vitae ac mortis in infantibus exercere poterat. Postquam vero homines vitam patriarchalem reliquerant, urbesque condere cooperant, quae dein cum aliis commercium varii generis inibant, sensim sensimque depravari inceperant mores. Jam cito in urbibus florentibus homines luxu atque luxuria corrumpebantur. Quo magis florebant eo magis effeminati fiebant habitantes. Inter mala, quae e luxurioso vitae genere proveniebant, maximum fere erat, quod se saltatricibus, cantatricibus aliisque vitae dishonestae mulieribus tradebant multi, qui harum cantu vel corporis elegantia vel humanitate aut eloquentia seducebantur. Duplex exinde malum exoriebatur: ab una parte harum puellarum blanditiis mariti ab uxoribus detrahebantur, dum ab altera parte uxores cum servis aliisque adulterium committebant. Quid mirum si et puellae et uxores gravidae factae remedia quae siverunt, quae foetum corrumpere ac graviditatem terminare possent. Hinc abortus provocandi mos ortus est, quo multi utriusque sexus hominis sese ob

magnum exinde petendum lucrum occupabant. Quomodo agebant, quibusque utebantur remediis iam pro parte in praecedenti capite allatum est.

OVIDIUS commemorat pessarium ex melle, helleboro et euphorbia constans, in vaginam immittendum. Abortus provocationem sequentibus verbis describit:

Vestra quid effoditis subjectis viscera telis
Et nondum natis dira venena datis?
Hace neque in Armeniis tigres fecere latebris
Perdere nec foetus ausa leaena suos
At tenerae faciunt, sed non impuno puellac,
Saepe suos utero quae necat, ipsa perit.„¹⁾

AVICENNA quoque ut vidimus multa remedia enumeravit. Inter varia ista remedia, maximam partem ad excitantium classem pertinentia, etiam inveniuntur fumigationes de asinorum calcibus combustis vel de stercore horum animalium, quae abortivum remedium efficax habebantur. Huc pertinent varia pessaria c principiis excitantibus composita.

Medio aevo veterum consilia sine metu sequebantur remediisque iam cognitis multa alia adhuc addebant, quae ab obstetricibus hilari animo accipiebantur et adhibebantur. Pro usu interno hisce temporibus varia potus praescribebantur, quorum praecipuum principium erat asa foetida, vel alia medicamenta resinosa aut balsamica. Sugere mammas alias mulieris, ac bibere lac ex ipsis mammis abortionem promovere posse credebatur. Fumigationes et balnea gravidis commendabantur.

¹⁾ Amor. lib. II. Eleg. 12.

Cognitio de abortus provocatione multis familiaris erat. Qua ratione antiquis aevis mulieres sibi abortum procuraverant, etiam nunc in magnis urbibus procurant. Hoc respectu barbarae ex Ucrania mulieres cum humanissimis Lutetiae puellis quin matronis conveniunt. A nonnullis filum ferreum vel bacillum vel aliud quid adhibetur ad membranas disrumpendas, uterumque a contento liberandum. **HALLER** narrat puellas Italicas acus, quibus ad continendos capillos utuntur, per ostium externum et canalis colli uteri ducere ut hac ratione fructum graviditatis corruptant.

Idem **PARENT DUCHATELET** de meretricibus Parisiis effert, quin **SCHEEL** affirmat: „modum istum abortum excitandi etiam foeminis Norvegicis non penitus ignotum esse.”

Testante doctissimo **VEIT** in urbe Cairo mulieres sequenti modo abortum provocare solent: gravidae in balneo locatae vulva cum frusto sulphuris tam diu titillatur, ut dolores orientur, sufficientes ad ovum expellendum, quo facto infusum cinnamomi ad sanguinis fluxum sistendum capiunt.

In libris de medicina forensi plurima inveniuntur exempla, quae demonstrant artem abortus provocandi non tantum a humanioribus sed quoque a rudibus ac stultis feminis notam esse.

Sed haec mittamus et ad argumentum redeamus, ad abortum nempe arte provocatum. Perpensis omnibus, et facta indicatione provocandi abortum, eligenda erit methodus, et quidem talis quae in singulari casu citissime atque tutissime uterum a contento suo liberare potest.

„In mehrfacher Beziehung, dixit KIWISCH, ist die Einleitung des Abortus mit geringeren Schwierigkeiten verbunden, als jene der künstlichen Frühgeburt, indem bei jenem die sorgfältige Berechnung der Schwangerschaftszeit, die Diagnose des Lebens und der Lage des Kindes, sowie jene der Beckenverhältnisse hinwegfällt, die bei letzterer Operation von wesentlicher Bedeutung sind. Dagegen treten hier manche andere Schwierigkeiten auf, und zwar nebst der genauen Diagnose und Würdigung der vorhandenen Krankheit, die in manchen Fällen sehr erschwert die Zugängigkeit der Frucht. Es ist nehmlich zu berücksichtigen, dass der Cervicalkanal in den ersten Monaten der Schwangerschaft gewöhnlich bedeutend lang ist, und derselbe besonders bei Erstgeschwängerten häufig sehr innig verklebt ist, so dass man in denselben, ohne bedeutende Gewalt anzuwenden, nicht eindringen kann.“

Quas ad partum praematurum provocandum commendaverunt atque adhibuerunt methodas, ad abortum quoque provocandum adhiberi possunt. Aptissime sequenti ratione dividuntur:

- 1º. Directa uteri evacuatio;
- 2º. Partialis membranarum ab uteri parietibus solutio;
- 3º. Immediata vel mediata ostii uteri dilatatio;
- 4º. Uteri vel totius vel eius partis variis modis irritatio.

Diversarum harum methodorum unaquaeque propria commoda et incommoda habet, nec una harum in omni casu est adhibenda.

I.

Directa uteri evacuatio.

Jam veteribus notum erat liquore amnii effluxo partum post breve tempus sequi nulloque modo retineri posse. Hoc modo partum provocabat JUSTINA SIGMUNDIN in placenta prævia, orta haemorrhagia nullis remediis sistenda. Cum acu vel filo ferreo placentam perforabat, ut efflueret liquor. Postea hacce methodo usus est PUZOS tanquam optimo remedio ad debellandam metrorrhagiam alio modo non sistendam. In Dania PAULUS SCHEEL membranas perforabat ad provocandum partum praematurum, ita ut ab eo methodus nomen acceperit. Per longum tempus membranarum punctio et liquoris evacuatio saepissime ad partum praematurum nec minus ad abortum provocandum adhibita est et etiamnunc adhibetur.

Ad partum præmature provocandum membranae vel secundum SCHEELII exemplum in ostio perforantur, vel altiori loco, uti MEISSNER commendavit; hic vero modus in provocatione abortus plerumque non apte adhibendus, dum punctio per ostium uteri fore semper convenit, quae punctio hac ratione efficitur: muliere vel stante vel in marginem tabulae aut lecti cum pelvi collocata, pars vaginalis uteri indice sinistro loco suo retinetur, juxta quem digitum unum aliudve perforatorium (inter alios WENZEL, BUSCH, D'OUTREPONT talia invenerunt) per ostium externum et canalem colli vehitur usque ad membranas. Dein acus protruditur et membranae perforantur. Simulac

successit perforatio liquor effluere incipit et peracta est operatio. Remoto instrumento, mulier lectum petit, abdomen subinde cum manu fricari et liquidum quoddam per vaginam injici potest. Brevi post dolores exsurgere incipiunt, uterus magis magisque, evacuato liquore, contrahitur et expellitur ovum.

Valde differt tempus, quo primi dolores apparent; nunc brevi post punctionem membranarum nunc tardius, quod dependit et de quantitate liquoris quae effluxit, et de celeritate, qua evacuatus est liquor, nec minus de majori minorive uteri irritabilitate.

Quo fortior reactio eo citior, ut patet, totalis erit uteri evacuatio, quae si retardatur, uteri actio, suadente KILIAN, borace cum ipecacuanha promoveri potest. Doloribus prorsus cessantibus punctio membranarum incompleta fuit et justo minor liquoris copia effluxit, quo in casu punctio repetenda est. Etiam si autem haecce methodus plerumque brevi tempore et in omni casu abortum provocare valeat, non omittenda sunt incommoda, quae illi adhaerent.

Facile nimurum uterus vulneratur, saepe praeterea per difficile est instrumentum per ostium uteri clausum vel per canalem colli angustum transmitti. In iis vero casibus, in quibus indicatio urget, hacce methodus omnibus aliis longe praferenda est.

II.

Partialis membranarum ab uteri parietibus solutio.

Ad evitanda incommoda prius descriptae methodo propria, varii obstetricatores membranas pro parte ab

uteri parietibus solvere proposuerunt, quae methodus etsi tutior longe minus efficacior est. — Ovi velamenta ab uteri parietibus soluta, quasi corpus alienum habenda sunt, quod uterus irritat, qui exinde ab eo sese liberare conatur.

Nexus inter membranas atque uterus variis modis disrumpi potest sive digito seu instrumentis vel injectionibus in ipsum uteri cavum, e quibus injectiones omnium efficacissimae sunt.

HAMILTON (Pract. Obs. Edinb. 1836) proposuit membranas digitii ope a pariete uteri solvere, quod consilium utique simplex atque bonum videtur. Quum nullis indigeat instrumentis operator, operatio inscia muliere, quae solita ratione se explorari credit, perficitur. Dolendum autem multis in casibus, quin in plurimis, praesertim si non de partus praematuri sed de abortus provocatione sermo est, hanc manipulationem difficultissimam quin plane non efficiendam esse. Per ostium uteri nimirum prorsus clausum digitus penetrare nequit, nisi vi justo majori adhibita, praeterea saepe nimis alte collum positum est, quam ut digitus per ostium et canalem colli usque in ipsam cavitatem possit penetrare. Ad subveniendum huic difficultati RIECKE loco digitii catheterem commendavit, atque LEHMANN cereolam adhibuit, uterque autem magis ad partum praematurum quam ad abortum provocandum, quem in finem vero quoque convenire posset. Hisce instrumentis non tantum membranae solvuntur sed quoque et quidem magis quam digito uteri paries stimulantur.

COHEN, medicus Hamburgensis, docentibus AVICENNA et diu post SCHWEIGHÄUSER, injectiones in cavitatem

uteri facit. Est methodus efficax quidem sed eo diffi-
cilior, quo minus provecta est graviditas.

Facile igitur efficiendum ex dictis, membranarum
solutionem ad abortus provocationem longe minus
commendari merere quam earum punctionem.

III.

Immediata vel mediata ostii uteri dilatatio.

In genere de hacce methodo valet, eam etsi satis
tutam non aequa certam esse. Immediata ostii dilata-
tio fit per dilatatorium, spongiam praeparatam,
digitum, cereolas, alia. Duplex hinc actio conjuncta
est, mechanica ostii dilatatio simul cum irritatione
nervorum colli uteri.

Dilatatio ostii uteri per digitum tunc tantum obtineri
potest, quando collum facile tangi potest, ubi vero
alte positum vel postrorsum directum est, aut prorsus
clausum est ostium, difficillime aut non perfici poterit.

BRUNINGHAUSEN et KLUGE spongia praeparata usi-
sunt ad ostium dilatandum, et partum praemature
provocandum; docuit enim experienta diuturnam in-
ferioris uteri partis irritationem totius organi contrac-
tiones excitare posse. Quod practicum huius methodi
valorem ad abortum provocandum attinet, confiteri
debemus aliis eam pluribus nominibus esse inferiorem.
Interdum adhiberi non potest propter abnormalem
colli positionem et propter eius rigiditatem; adhiberi
quoque fere nequit quando ostium plane clausum est.
Ubi spongia per angustum ostium nondum transferri

potest, BUSCH dilatatorium suum commendavit. In eundem finem cereolae adhiberi possent, uti ad dilatandas urethrae stricturas fit. Omnes istae methodi incertae sunt ac difficulter applicantur.

In irritabilioribus non convenient propter reactionem nimis vehementem, praeterea hacce dilatatione facile inflammatio provocatur. Quae si valent incommoda de partu prae mature provocato, magis adhuc de abortu provocando valent.

Methodus tuta, apta sed incerta ea est, quam SCHÖLLER commendavit, obturando vaginam per linatum carptum, quem in finem quoque obturamenta de gummi elasticō vel alia adhiberi possent.

Etsi ad abortum provocandum minus conveniat haec methodus, tamen adhiberi posset in iis casibus, in quibus, non valde urgente indicatione, ostium perfecte clausum est. Quod si non sufficiat obturatio, membranarum punctio sequi poterit.

De modo, quo applicatur obturamentum, non opus est ut dicamus, qui scilicet prorsus convenit cum obturazione vaginae ad partum prae mature provocandum. Obturationem vaginae non novam rem esse, patet e CELSI verbis: „medicamenta composita molli lana excipiuntur, eaque lana in naturalibus conditūr, ad sanguinem evocandum, ad ejiciendum e vulva infantem mortuum.”

IV.

Irritatio uteri.

Haec agendi ratio nonnumquam periculosa, in multis casibus incerta est. In genere ad abortum provocandum commendari non meretur, nisi ad adjuvandam unam alteramve ex jam descriptis methodis. Actio partim mechanica est, partim dynamica, partim consensu locum habet.

Adhiberi possent frictiones per abdominis parietes, uti D'OUTREPONT voluit. KRAUSE introductionem catheteris flexibilis inter membranas atque parietes uteri commendavit, qui ibi diutius retinetur. Porro nominandae sunt injectiones in vaginam, quales KIWISCH aliquique proposuerunt. Huc quoque pertinent quaedam ex jam enumeratis methodis. De omnibus autem valet, eas ad abortum provocandum minus aptas esse.

BONGIOVANNI secale cornutum commendavit; opinatur nimirum istud remedium aequa bene dolores excitare quam renovare posse.

RAMSBOTHAM remedium sequenti ratione praescripsit:

R_p. Sec. corn. rec. pulv. dr. iiij,
aquaee fervidae unc. viij,
inf. in vase leviter clauso et cola.

R_p. Inf. supra praescripti unc. vij β ,
acid. sulph. dil. dr. β ,
tinct. cardamomi,
syr. simpl. aa dr. ij.

Infusio secalis citius agit quam pulvis, dum acida et aromatica adduntur ad prevenienda vomituritionem ac vomitum, quae non raro medicamento provocantur in mulieribus, majori ventriculi irritabilitate praeditis.

LEP remedio usus est ad abortum provocandum, et quidem exhibendo doses continuo majores, usque ad septem uncias de die, sed frustra. Patet igitur secale ad abortum provocandum valde incertum esse, dum insuper a multis non bene fertur.

Synergeia inter uterum atque mammas, jam HIPPOCRATI nota, uti voluerunt FREDERICI et SCANZONI ad partum provocandum. Prior proposuit sinapismos vel vesicatoria ambulantia adhibere, nec tamen ipse perpetravit, quod consiliatus est. SCANZONI sinapismorum loco cucurbitas siccas commendavit.

Haecce autem methodus ad abortum provocandum parum valet; etsi experientia docuerit continuam mammarum suctionem et irritationem interdum abortus causam esse posse.

Postea SCANZONI vapores acidi carbonici in vaginam ducendos commendavit; de hujus vero agendi ratione, quandoquidem parum tantum adhibita, hucusque non judicari potest. Est autem molesta methodus, quae jam ob hanc causam aliis postponenda esset, etiamsi eadem efficacitatis gradu gauderet, quod valde dubitandum.

Ex dictis facile sequitur nullam methodum certiorem esse quam velamentorum punctionem, quae idcirco, nisi contraindicationes adsint, utique commendanda est.

C A P U T I V.

DE CONDITIONIBUS, QUAE ABORTUS PROVOCATIONEM
INDICANT.

Posito, casus dari in quibus necesse est uterum contento suo liberari, quo tempore foetus propriam vitam nondum vivere potest, restat ut casus enumememus in quibus haecce provocatio requiritur. Quamvis difficulter generales regulae statui possint, quae pro omnibus casibus valent, in genere tamen e plurium obstetricatorum opinione statuendum est operationem indicatam esse in omnibus istis casibus, in quibus conditiones morbosac in gravidis adsunt vel iis superveniunt, quae vitam matris et ut per se patet foetus quoque, ita minantur, ut tempestiva uteri evacuatio, si tuto fieri potest, unicum videatur remedium, de quo matris salus exspectanda est. Operationem non esse instituendam nisi omnibus quam accuratissime perpensis, non est quod dicamus.

Inter scriptores, qui de nostro argumento verba fecerunt, primo loco KIWISCI et SCANZONI nominandi sunt. Multum uterque tribuit ad investigandas et perpendendas varias conditiones, quae abortum artificiale indicare possunt. Varias, quae tum a SCANZONI tum ab aliis propositae sunt indicationes enumeraebimus et paullo accuratius tractabimus, simul dubia

nostra contra eas, ubi opus videtur, proferentes. — Causae, ob quas provocationem abortus indicatam habuerunt, hae sunt:

1º. In retroversione uteri completa, si repositio nullo modo fieri potest. Tali in casu necesse est ut inflammatio uteri aliarumque in pelvi sitarum partium oriatur, tam periculosa ut mors fere certo instet.

Nullam autem ex enumeratis methodis in completa retroversione, nisi forte in rarissimo casu, convenire, sponte liquet. Collum enim uteri nimis alte positum est ut attingi possit, utque instrumentum per ostium duci queat. Nihil itaque restat quam perforatio uteri parietis ut liquor amnii evacuetur. — Contra istam indicationem HOHL attulit: in retroversione incompleta operationem non necessariam esse (de qua re nemo profecto dubitat), in retroversione autem completa operationem matri periculosam esse, quum, ostio alte posito et instrumento non attingendo, ipse uterus perforandus sit, unde facile inflammatio orietur. — Multa contra HOHLII sententiam afferri possunt.

Parvo isto vulnere gravem uteri inflammationem produci experientia non comprobatur. In genere non secuta est inflammatio, evacuato utero vulnusculum fere clausum est brevissimoque vulgo tempore sanatum, et, etiamsi oriretur metritis, haec sanari poterit, dum retroversione persistente mors certa habenda est. Libenter consentimus quoque hoc in casu abortum ultimum tantum refugium habendum esse, sed SCANZONI quoque nil aliud proposuit quam abortus

provocationem in casibus desperatis, neque multi profecto invenientur, qui in tali casu operationem non legitimam censeant.

2º. In descensu et prolapsu uteri gravi, obortis symptomatibus gravis vesicae urinariae et recti intestini pressionis nec minus uteri ipsius inflammationis, repositione uteri frustra tentata.

Ut per se patet abortus quoque hoc in casu instituenda non est nisi summa necessitate jubente, et profecto damnandus foret ille qui abortum provocaret, priusquam omnia adhibuisset, quibus repositio forsan succedere posset. Sunt quidem scriptores, qui statuunt abortus provocationem in prolapsu uteri gravi non requiri, quandoquidem hac in conditione abortus sponte vulgo sequitur. Luce profecto clarius est non opus esse provocare abortum, si sponte oritur; quodsi vero abortus naturae viribus non oritur, aut nimis retardatur, ita ut gravis uteri inflamatio aut instet aut jam inceperit et urinae alvique evacuatio summis prematur difficultatibus, accusandus foret obstetricator, qui, dum aegrotantis vitam abortu provocando servare poterat, abortum provocare neglexerit.

3º. Abortus provocandi necessitas adest in ruptura uteri vel spontanea vel traumatica, primis graviditatis mensibus, ovo integro in cavo uteri manente.

Credimus autem tali in casu diagnosin difficilem esse aut prorsus non fieri posse, nisi forsan e symptomatibus, quae sanguinis effusionem largam in peritonaei cavum indicant. Quodsi talia symptomata adsunt, quodsi mulier magis magisque exsanguis redditur, sanguine continuo in abdominis cavum

effluente, quodsi nobis persuasum est ovum totum in uteri cavo remanere, tunc profecto e nostra opinione abortus provocatio unicum esset remedium, quo forte adhuc mulieris vita servari posset. Metus, ne grandescente ovo, ruptura major fiat et foetus ex utero in peritonaei cavum expellatur, nobis vanus videtur, quum vulnus uteri, finita haemorrhagia, in rariori isto casu in qua ovum non expulsum fuit vel in abdomen vel per viam naturalem, brevi claudetur, forsitan absque eo ut facta esset diagnosis.

4º. Haemorrhagiis gravissimis nullisque remediis coercendis indicatur operatio. — Sicut priorem SCANZONII indicationem, hanc quoque oppugnat HOHL, statuens abortum sponte oriturum esse. — Id autem non semper fit et quomodo tunc agendum est? An mulier sibi relinquenda et ad finem usque naturae viribus confidendum? Sed haemorrhagia non raro tam vehementer est ut, nisi sistatur, mulier moriretur. Ubi itaque haemorrhagia omnibus remediis resistit, efficaciter agendum est ne vitam amittat grida. At vero e nostra quoque sententia in haemorrhagiis, primis graviditatis mensibus occurrentibus de abortu artificiali proprie non sermo esse debet, nam nobis non fingere possumus casum in quo apta vaginae obturatio non sufficeret ad sistendam haemorrhagiam. Fere semper quidem obturationem sequitur abortus, qui hoc respectu artificialis dici potest, sed dantur tamen casus, etsi rarissimi, in quibus sublata haemorrhagia graviditas terminum naturalem attigit.

5º. Abortum provocare indicant tumores fibrosi, cavum pelvis minoris tali modo replete, ut nullum sit

spatium per quod foetus vivus, nec mature nec praemature, transire possit, in quibus igitur casibus nil restat nisi sectionem caesaream ad finem graviditatis instituere.

Cognitum est tales tumores ad finem graviditatis non raro moliores fieri, ita ut infans vivus transeat per pelvim, quae tota tumore fibroso repleta videbatur. In quo igitur casu probabilitas adest ut tumor emollescat, quando tumor non celeriter crescit, sed eodem potius statu manet, quando non prorsus immobilis est et non totam cavitatem pelvis replet, quando non e pelvis pariete provenit nec cum eo larga basi conjunctus est, casus forsitan naturae relinqu adhuc posset. Vulgo tamen tumores fibrosi, in cavitate pelvis haerentes durante graviditate celeriter increscunt, uterum non raro premunt, quin incarcerationis symptomata producant. Quum tali in casu praematura partus provocatio ad servandam foetus vitam nil valeret, nihil restat nisi sectio caerea, aut, si diagnosis jam in initio graviditatis facta fuit, abortus provocatio.

Quid hic eligendum? In hoc solo casu HOHL abortum provocare suadet, quando scilicet periculum est ne mater sectionem caesaream superare non possit.

Ubi graves simul haemorrhagiae adsunt, quae gravidae vitam minantur, per se fere patet abortum provocandum esse, ubi autem tales haemorrhagiae non adsunt, de sectione caesarea sermo esse posset; quum autem docuerit experienta sectionem caesaream mulieri hac in conditione fero certo lethalem esse, nobis hanc suadere non licere credo. Me judice hic

non obstetricatori est dijudicare utrum abortus provocandus sit vel sectio caesarea instituenda, sed matri ipsi, cui, si forte praeferret sectionem caesaream, ut per se patet satisfaciendum esset.

6º. Carcinoma uteri a SCANZONI et KIWISCH indicatio abortus provocationis habetur.

Licet experientia docuerit in carcinomate uteri extenso conceptionem rarissime obtainere, vel si obtinet abortum vulgo oriri aut partum immaturum, dantur tamen casus in quibus dolores acutissimi et acerbissimi mulierem diu noctuque vexant, quibus doloribus omni quiete orbatur, accendentibus non raro haemorrhagiis. Hic quaestio esse nequit de servanda vita sed tantum de ea producenda per aliquod tempus, deque liberanda muliere ab atrocibus quibus vexatur doloribus.

Quodsi docuerat experienta foetum his in casibus vulgo aut non raro quoque vivum nasci et vitam retinere, de abortu provocando sermo non esset. At vero aliter docuit experientia: in rarissimis casibus in quibus conceptio obtinet, aut abortus oriri aut mortuus foetus ante tempus expelli solet, dum praeterea infans, etsi vivus natus, ut plurimum debilis est et brevissime post partum moritur. Infans igitur fere numquam servatur in iis casibus de quibus nunc sermo est. In his ad abortus provocationem refugere licere mihi videtur ut vita mulieris protrahatur eiusque miseriis quantumpote succurratur.

7º. Inter indicationes porro nominatur gravis uteri gravidi inflammatio sive primaria sive secundaria. Universe abortus sponte oritur, ubi vero non cito

obtinet atque inflammatio omnibus remediis resistit, ubi symptomata tum localia tum generalia vitae periculosa adsunt, nullum dubium est quin abortu provocato tantum servari possit mulier; operatio igitur non diu differenda.

8º. Tumores ovariorum interdum quoque abortus provocationem indicare habentur. In genere graviditas non turbabitur, nobis tamen fingere possumus casum in quo ovarii tumor uterum premit aut pelvis cavitatem replet. Hoc in casu sermo esse posset de abortu provocando. Mihi tamen videtur operationis necessitatem rarissime tantum occurtere posse. Tumores fibrosi vel carcinomatosi ovariorum in universo non magnum volumen acquirunt, nisi cystides in illis adsint; cystosarcomata vel cystocarcinomata aut tumores cystici vel cystoidei ingens volumen acquirunt quidem, sed in omnibus istis casibus verosimiliter facta punctione volumen satis imminui poterit ut pressio in uterum tollatur. — Ubi cystides non adsunt, aut evacuari non possunt et tumor ovarii tamen totum pelvis cavum opplet, indicatio eadem est, ac jam supra de tumoribus fibrosis in pelvi vidimus.

9º. Herniae incarceratae non reponendae. Ultimis graviditatis mensibus herniae raro egrediuntur, in prioribus autem mensibus egredi possunt et data occasione incarcerari. Quodsi evenit, operatio ut per se patet instituenda atque intestinum reponendum. Ubi operatione facta hernia nullo modo reponi potest, et repositio utero gravo impeditur, nil restaret nisi abortus provocatio, ut evacuato utero repositio fieri posset. Talis autem casus fingi fere nequit, atque in

genere herniae incarceratio abortus provocandi indicationem non praebet.

10. Abortus provocatio indicatur vomitu gravidarum nullo remedio coercendo. — Quod de omnibus, quas posuerunt, fere indicationibus valet, quoque valet de hacce. Multi dantur obstetricatores, qui operationem non instituendam habeant. Vomitus prioribus graviditatis mensibus in longe majori gravidarum numero occurrit, interdum satis vehemens, ita quidem ut mulier emaciatur et revero debilis fiat. Fere semper secundo vel tertio graviditatis mense incipit vomitus, raro serius; per sex hebdomas vel per duos menses durat, nonnumquam diutius, rarius per totam fere graviditatem perstat. Interdum vomitus sub finem graviditatis redit, atque tunc jure adscribi potest pressioni quam uterus in ventriculum exercet. Prioribus autem mensibus causa mechanica non adest, et vomitus causa difficilius explicanda est, nisi in auxilium vocentur numerosae sympathiae, quae uterum inter atque ventriculum exstant, sympathiae tam arctae ut in omnibus fere uteri morbis, quin non raro menstruationis quoque periodis, prodeant.

Contenderunt nonnulli vomitui nimio et nimis protracto primiparas magis expositas esse quam multiparas et quidum hanc ob causam, quia uterus in prima graviditate difficilius extenditur quam in subsequentibus. Quac vero observatio, etsi theoretice vera videatur, non comprobatur experientia. Interdum nimirum mulieres, in quarum prima graviditate vomitus aut nullus erat aut saltem non valde molestus, in subsequenti graviditate vomitu fere perpetuo summo

gradu vexantur. Rigiditas uteri igitur sola praecipua causa vomitus esse nequit, sed confugiendum ad sympathiam inter uterum atque ventriculum nobis erit, quamvis explicationem huius sympathiae dare non possimus.

Quod vomitionum frequentiam et intensitatem attinet, maxima datur differentia. Fere semper molestae tantum sunt, non vero periculosae; dantur tamen casus in quibus mulieris vita ob vomitus vehementiam et pertinacitatem admodum periclitatur. Decursus tali in casu sequenti ratione describitur: Initium morbi ut plurimum insidiosum est. Adest fastidium alimentorum, dolor in epigastrio, vomitatio perpetua et vomitus creber, quo omnes cibi rejiciuntur non tantum sed bilis quoque ejicitur. Febricula sensim oritur, quae postea febris fere continua fit. Ingratissimus fit foetor ex ore. Secundo stadio gravida debilis admodum fit, macescit, facies languida est et collapsa, tandem eveniunt hallucinationes fugaces, dein delirium permanens, tandem coma. Nunc quidem cessant vomitiones, sed nulla fere salutis spes remanet. Abortu orto interdum servatur mulier, ubi vero morbus ita provectus est, a natura salus non amplius exspectanda et quaerendum utrum medico liceat in tali conditione abortum provocare. Per se patet obstetricatori non licere ad operationem transire nisi summa necessitate coacto, omnibusque remediis incassum adhibitis.

Quodsi ore sumi nequeunt medicamenta per anum injici aut endermatice adhiberi poterunt. — Difficillimum esse definire casus in quibus abortum provocare liceat, difficillimum determinare utrum abortus provocatio unica salutis spes sit, per se quidem patet.

Casus ad speciem desperati interdum praeter omnem exspectationem feliciter decurrunt. DUBOIS operationem in sequenti conditione necessariam habet:

- a. Quum omnia, quae in ventriculum ingeruntur, tum solida tum liquida, perpetuo vomitu ejiciuntur;
- b. Quum gravida vomitu diuturno ac vehementi magis magisque debilitatur et macescit;
- c. Quum subinde animi deliquium oritur;
- d. Quum facies collapsa summam morbi vehementiam indicat;
- e. Quum exhalationes oris odorem acescentem, foetidum habent;
- f. Quum gravida febribus gravioribus et continua consumitur;
- g. Quum medicamenta omnia incassum adhibita sunt.

Quodsi omnes istae conditiones adsunt, ex nostra opinione non diutius exspectandum est, sed provocandus abortus. Si enim nimis diu differtur operatio, mors averti non amplius poterit; inde quoque infaustus eventus in nonnullis casibus explicandus est, quem quidem nonnulli operationi tribuerunt, qui vero non operationi sed potius operatori tribuendus fuisset. Gaudendum utique talem vomitionum vehementiam, qualis operationem indicare possit, rarissimam esse.

11º. Opinatus est KIWISCH insultus asthmaticos, notabiles cordis hypertrophiae vel strumae insignis sequelas, peripneumonias extensas symptomatibus periculosis notatas, abortu arte provocato verosimiliter emendata iri. Quum vero neque ipse tali in casu abortum provocaverit, neque alii id fecerint, de hacce indicatione nequaquam constat; neque credimus

facile sermonem de abortus provocatione hic esse posse; scimus enim graviditatem prioribus mensibus in morbis respirationis et circulationis parum tantum influere, ita ut vix conditionis emendatio ex abortus provocatione speranda esset. Partum praematurum contra hic convenire posse omni dubio vacat.

12º. Idem valet de affectionibus cerebri congestivis vel apoplecticis, in quibus PELLEGRINI bis abortum se bono successu provocasse contendit. Non intelligimus quomodo quis tali in casu operationem instituere audeat, cuius utilitas quoque non perspicienda est. Insultus eclamptici, omnibus remedis resistentes indicationem quidem dare possent, at vero vix aut ne vix quidem sex prioribus graviditatis mensibus occurunt.

13º. Inter indicationes quoque hydropicas affectiones enumerat SCANZONI¹⁾, dicens: „Hydropische Ansammlungen in den verschiedenen Körperhöhlen, mögen sie durch was immer für eine Ursache bedingt sein, indiciren die Einleitung des Abortus dann, wenn die durch sie hervorgerufenen Erscheinungen Gefahren für das mütterliche Leben befürchten lassen, und diess um so mehr, da es durch die Erfahrung sichergestellt ist, dass Hydropsieen oft einzig durch die Schwangerschaft bedingt oder wenigstens gesteigert werden und dass sie häufig beinahe augenblicklich schwinden, sobald die Uterushöhle entleert wird und so die zum Zustandekommen der serösen Bluterase disponirenden Momente behoben sind.” — Per se tamen patet abortum tali in conditione non provo-

¹⁾ Lehrbuch der Geburtshilfe 1855. pg. 717.

candum esse nisi revera vitae periculum adsit, atque constet accurata observatione hydropem graviditatis sequelam esse. Sed quoque in hisce casibus potius partum praematurum provocaremus quam abortum, si scilicet exspectari tam diu posset.

14º. Inter indicationes quoque nominaverunt graviditatem extrauterinam. In hac vero quidem de punctione ovi sermo esse potest, ut morietur fructus, non tamen de abortu arte provocato, ita ut hanc indicationem facile mittere possimus.

15º. Tandem ad ultimam pervenimus indicationem abortus provocationis, scilicet ad pelvis angustiam. Uti dissentunt viri docti de provocatione partus ob vomitiones vehementes, sic dissentunt quoque de quaestione num liceat abortum provocare in tam magna pelvis coarctatione, in qua praeter sectionem caesaream nil omnino restat, nisi forsitan embryotomia in tali angustia vix minus periculosa quam ipsa caesarea sectio.

Primum hancce indicationem statuit COOPER, eum secutus est DUBOIS, dum nuperrime HOFMANN indicationem hisce verbis definit. „Wenn bei äusserstem Grade von Beckenverengerung, bei welchem nicht einmal mehr ein fröhreifes und todtes, geschweige ein ausgetragenes und lebendes Kind weder unverkleinert noch verkleinert durch den Beckenkanal passiren kann, die von der einstigen absoluten Nothwendigkeit des Kaiserschnittes zu belehrende Mutter zu dieser Operation ihre Zustimmung nicht gibt, muss der künstliche Abortus eingeleitet werden.“

Ita definitam indicationem plane valere credimus; iisdem enim nititur argumentis quibus nititur in aliis

morbosis conditionibus gravidarum periculosis neque alia ratione tollendis: si in his licet provocare abortum, quoque in summo angustiae gradu. Sed in hoc quoque casu mulieris est discernere utrum graviditate ad finem perducta sectionem caesaream pati velit an non. Non licet medico mulierem vi cogere ut subeat operationem, quid igitur tunc restat? Embryotomia ut per se patet, hic institui nequit, igitur tantum de abortu sermo esse potest.

Ubi angustia pelvis non talis est, ut forsitan septimo graviditatis mense foetus transire possit, partus prae-mature provocandus est, et quidem 28 graviditatis hebdomade, licet parva admodum sit spes ut foetus, si forte vivus nascatur, in vita servetur.

In Francia ante aliquot annos magnae fuerunt lites, utrum licet provocare abortum in pelvis coarctatione an non licet; DUBOIS, CAZEAUX, aliique provocationem defendebant, alii eam illicitam habebant, neque ad hunc usque diem lites compositae sunt, quamvis major obstetricatorum numerus, ut credimus, nostro tempore provocationi abortus in talibus casibus faveat.

Restat tantum ut determinemus, in quibus casibus partus prae-maturus non amplius provocari potest et indicatio igitur abortus provocandi oritur. Ubi diameter conjugata prima $2\frac{1}{2}$ — $2''$ metitur, partus 28^a hebdomade posset provocari, et exigua adhuc spes esset foetus in vita servandi, dum matri quoque partus fere non periculosus est; ubi vero conjugata minor est quam $2''$, ubi igitur absoluta sectionis caesareae indicatio adesset, si graviditas ad finem pervenisset, abortus provocandus esset.

Quantum scimus omnes indicationes, quas diversi auctores posuerunt, enumeravimus; non quidem omnes aequali modo valent, imo nonnullae sunt, quae e nostra opinione jus provocandi abortus nobis tribuere non possunt, cum pluribus autem consentimus, atque operationem, dummodo non perficiatur, nisi omnibus bene perpensis et summa jubente necessitate, valde salutarem habemus. — Etsi vero multas enumeravimus indicationes, nemo tamen credat, necessitatem instituendae operationis frequenter occurrere. Rarissime semper profecto manebit operatio, nisi temere saltem quis eam perficere velit.



C A P U T V.

AN LICET IN SALUTEM MATRIS ABORTUM
PROVOCARE?

Prima hujus dissertationis parte vidimus abortum arte provocatum expulsionem esse foetus immaturi, i. e. talis qui propriam vitam vivere nondum potest, e ventre matris, benigna manu a religioso medico effectam, eo quidem scopo ut mater ab imminente periculo servetur. — Diverse admodum dijudicata est abortus provocatio pro variis temporibus, regionibus, legislationibus, nec minus religionibus. Antiquis temporibus apud Graecos en Romanos abortus provocatio non puniebatur, atque sic res se habuit donec

civilisatio sed imprimis christiana religio vitam foetus salvam esso debere quin imo sacram quasi habendam esse doceret. — Tempore SEVERI, ANTONINI et CONSTANTINI MAGNI lex bonorum publicationem et relegationem sotibus irrogat, quin eos capite damnat. In JUSTINIANI codice atque in codice canonico abortus provocatio prouti infanticidum puniebatur, et saeculo quinto decimo in Francia mulieres hujus criminis convictae vivaee cremabantur. Sensim tamen legislatores ab immodica ista severitate destiterunt. In codice poenali sequentia hac de re inveniuntur : „Quiconque par aliments, breuvages, medicaments, violences ou par tout autre moyen, aura procuré l'avortement d'une femme enceinte, soit quelle y ait consenti ou non, sera puni de la réclusion. — La même peine sera prononcée contre la femme qui se sera procuré l'avortement à elle même ou qui aura consenti à faire usage des moyens à elle indiqués ou administrés à cet effet, si l'avortement s'en est suivi. Les médecins, chirurgiens et autres officiers de santé, ainsi que les pharmaciens, qui auront indiqué ou administré ces moyens, seront condamnés à la peine des travaux forcés à temps, dans le cas où l'avortement a eu lieu.” — In jure jurando, a lege cuivis medico, gradum doctoralem accipienti, praescripto, verba leguntur : „*nec gravidis abortum procuraturum,*” dum artis obstetriciae ac chirurgiae doctori in jure jurando hoc quoque praescribitur : „*se nec prece nec pretio abortum procuraturum.*”

Legislator autem abusum, scelestam perpetrationem operationis punire voluit, inde vero non sequitur eum usum quoque restrictum punire voluisse. Dicit

tantum lex obstetricatori *nec prece nec pretio* abortum provocare licere. Sed longe alia est quaestio in iis casibus, in quibus hodierni medici abortum indicatum habent.

Operatio enim salutem matris spectat, alioquin fere certae morti dicatae, dum in nonnullis casibus sectio caesarea unicum remedium maneret sed simul periculosissimum. Lucrum cupientibus sceleratisque hominibus lex captivitatem aliasque poenas imponit, et recte quidem, num autem iis aequiparandus est obstetricator, qui religiose perpensis omnibus abortum provocaverit ut matri vitam servet? Num ex verbis: „Juro me in opem ferendo, quantum ingenii viribus assequar, ex artis obstetriciae regulis gravidarum, parturientis et foetus vitam, salutem et commodum promotorum, nec prece nec pretio abortum procuraturum,” sequitur eum semper teneri et matris et foetus vitam tueri? Profecto non, nam jusjurandum poscere a nullo potest, quod nemo potest perficere.

Jurat quoque medicus „se nec prece nec pretio aliave de causa cuiquam pharmacum noxiū propinaturum,” an inde sequitur usum remediorum, quae inter venena sunt recensenda, uti hydrargyrum, arsenicum, strychninum et tot alia, illi non licere? Absurdns esset, qui hoc contuleret; sed aequē minus ac ille de perjurio accusandus est, qui, ut forsitan vitam servet, remedium periculosissimum praescribit, aequē minus ille potest accusari, qui, ut mulieris vitam servet, abortum provocet. — Tali ratione legem interpretantibus fere non liceret operationem ullam chirurgicam perficere. Vetat enim lex vulnera alii infligere; chirurgus vulnera infligit periculosa

admodum quin non raro lethalia. An igitur hanc ob causam puniendus chirurgus est, et de crimine accusandus, quum, ut forte vitam hominis servet, anticipite remedio usus fuerit?

Partus antea frequenter vi provocabatur, neque hodie operatio ista ita rara est. Saepe instituitur operatio cum lethali eventu, tum pro matre tum quoque pro foetu, et tamen abortus artificialis adversarii hanc operationem tuentur, licet praecipitatione et violentia stipetur, quod non raro testantur duo cadas-
vera, matris scilicet et foetus simul, dum abortus provocatus lente et mite agat et matri vix periculosus est. Ubi partus naturali modo perfici nequit, ubi conditiones adsunt, quae sectionem caesaream contraindicant, ubi caput foetus jam pelvis introitum intraverit, ibique fixum et immobile haeret, ctiam abortus artificialis adversarii caput perforant, aut embryotomiam perficiunt, quod faciunt interdum vivente adhuc infante aut quod eodem reddit, operationem tam diu retardant donec foetus mortuus sit. Si legislator perforationem foetus, ne vivi quidem, non punit, qua ratione puniret artis obstetriciae doctorem, qui in salutem matris abortum provocat.

Plerumque enim cum matre etiam foetus moritur, et raro sectione caesarea facta servatur foetus, rarissime servatur mater.

Legem igitur non obstare quominus arte provocetur abortus, e nostra opinione satis patet.

Nonne vero sunt argumenta theologica, quae abortus provocationem vetant? Inter theologos hac de re tres sententiae dantur: nonnulli sed minores numero permittunt ad salutem matris foetum corrum-

pere; inter catholicos multi quidem foetus mortem sinunt, sed non nisi antea baptisatus fuerit; alii adhuc, et plurimi quidem, foetus mortem nullo modo sinunt, dicentes: „non occides et non facienda mala ut eveniant bona.” Hisce vero opponi posset, respectu habitu eventus vulgo lethalis sectionis caesareae et non minus respectu habitu embryotomiae: „quem non servasti dum potuisti, illum occidisti.”

Gravida trium vel quatuor mensium, cuius organa sunt vitiosa, consultit obstetricatorem, qui facta exploratione certior fit partum naturali modo absolvi non posse, quum graviditas ad terminum pervenerit, neque prae mature quoque absolvi posse. Tali in casu ad terminum graviditatis nihil restaret praeter sectionem caesaream aut embryotomiam, quae tamen saepe perfici non poterit. Eventus embryotomiae pro matre dubius est, sectionis caesareae admodum infaustus, abortus vero provocati nequaquam infaustus dici meretur. Generalis regula haberi potest post sectionem caesaream $\frac{3}{4}$ mulierum partes et $\frac{1}{2}$ infantum partem moriri, dum post embryotomiam tertia fere mulierum pars mortem subit. Nonne igitur abortu provocato plures vitae servantur, quam aliis dictis operationibus?

Fere non opus est ut abortus provocationem defendamus in iis casibus, in quibus gravidae vita summe periclitatur et tantum abortu provocando servari posse videatur. In his profecto praestat unam vitam servare quam duas perdere.

Contenderunt multi nullum jus habere foetum vivum, ne primis quidem vitae uterinae mensibus, occidendi. Quomodo autem agendum si mulier operationem caesaream recusat; an relinquenda naturae viribus,

et sacrificanda mater cum foetu simul? an perficienda embryotomia, foetu mortuo? Nonne longe praeferranda fuisset tali in casu abortus provocatio?

Plane consentimus clar. VELPEAU dicenti: „Dans le cas que je suppose, on n'a aucune chance de cette espèce, et la plupart des femmes qu'on ne délivre qu'à terme succombent. Le tout est de savoir, si la véritable humanité permet d'acheter la vie possible d'un embryon, au prix de l'opération césarienne ou de la symphyséotomie. Pour moi j'avoue qu'il m'est impossible de mettre en balance la vie précaire d'un foetus de trois, quatre, cinq ou six mois, d'un être, qui jusque-là diffère à peine de la plante, qui ne tient encore par aucun lien au monde extérieur, avec celle d'une femme adulte, que mille rapports sociaux nous engagent à conserver; en sorte que dans le cas de resserrement extrême, s'il était positivement démontré que l'accouchement à terme fût impossible, je n'hésiterais pas à conseiller l'avortement dès les premiers mois de la gestation.”

Iis, qui baptismum foetus necessarium habent, facile succurrere possumus baptisando foetum post membranarum rupturam et quidem injectionis ope. Hac ratione objectio eorum, qui contendunt: „vitam incorporalem foetus praeferendam esse vitae profanae matris tollitur.

Sic etiam apud DEBREYNE legimus: „Si l'enfant pouvait, avant de naître, recevoir le baptême à la tête, après la rupture des membranes, ce baptême serait valide et la femme ne serait pas obligée de souffrir l'opération césarienne, parce qu'elle n'est tenue à la subir que pour assurer la vie de l'âme de son

enfant, et non pour lui procurer la vie temporelle."

Timidae igitur conscientiae tranquillae esse possunt, nam servata vita foetus incorporali simul matris vita servatur.

Objiciunt nonnulli abortum provocandum non esse, quandoquidem hoc modo mundus forte orbaretur insigni poeta, auctore, belli duco vel alio praeclaro viro; quod quidem concedimus, eodem autem jure conjicere possemus mundum hocce modo praeservatum iri a tyranno, praedone, idiota, aliis. Haecc objectio ab omni parte vana, uti quoque eorum objectio qui contendunt abortus provocationem noxiā vim habitaram esse, diminuendo hominum numero; nam operatio perraro perficitur, dum praeterea longe plurimi foetus niholominus morirentur.

Jure igitur nos concludere posse nobis videmur, abortum provocare licere eumque medicum in iis casibus, quos supra enumeravimus, sine metu ac tranquillo animo perficere debere.

Abortus provocatio nobis in nonnullis casibus operatio valde salutaris videtur, sectioni caesarae et embryotomiae praefferenda; iis nimirum exceptis casibus in quibus ipsa mater sectionem caesaream praefert atque haec perfici potest. Fundamentum habet operatio in historia, experientia, in iis, quae ipsa suggerit natura; non opposita est legum sensui, moribus, religioni, analogiam habet quin identitatem cum aliis operationibus, quas quotidie perficimus. Jus canonicum et codex poenalis abusum tantum punire voluerunt, usum tamen prudentem et religiosum vetare nec voluerunt nec possunt.



THESES.

I.

„Les systèmes s'élèvent et s'écroulent, les faits seuls demeurent.“

SAT-DEYGALLIÈRE.

II.

Civilisatio nutrix prostitutionis.

III.

Recte ANDRAL statuit, nihil in scientia incompletius esse quam doctrinam de signis hepatitidis.

IV.

Non consentio cum iis, qui putant in typho venae-sectionem semper esse contraindicatam.

V.

Vere HEBERDEN dixit: Hydrops non tam ipse morbus est, quam aliqujus morbi signum.

VI.

Non assentior Viro clar. SCHÖNLEIN dicenti: „Pneumonien durch den Tartarus Stibiatus allein, mit Umgehung der Venae Section heilen zu wollen, ist eine Chimäre.

VII.

Recte dicit CAZEAUX, de abortu provocato disserens: „La mère seule après tout a droit de décider la question.”

VIII.

Errant, qui statuunt, secalis cornuti usum venatum esse infanti.

IX.

Ein grosser Missgriff ist es, Leute, die ohne ärztliche Bildung und nur im Besitze einiger chirurgischen Kenntnisse sind, zum Studium und zu den Prüfungen in der Geburtshülfe zuzulassen.”

NAEGELE.

X.

Amputationem in gangraena sola linea demarcationis indicat.

XI.

Non concedo iis, qui statuunt: medicamenta interna
in morbis cutaneis externis remediis esse praferenda.

XII.

Syphilis secundaria contagiosa.

XIII.

„Wherever prostitution is foul and unclean , restricted to few women amongst crowds of men , there the infection will be generated , which afterwards spreads through society at large.”

FERGUSSON.

XIV.

Minus recte MENDE: „Was nicht lebensfähig ist , kann nicht getötet werden.

XV.

Non concedo Clar. von SIEBOLD: „Kinderlosigkeit kann nur dann dem Manne zur Last fallen , wenn die Frau aus einer früheren Ehe Kinder empfangen hat.”

XVI.

„Wenn die Gesetze den Termin der Pubertät festsetzen, so überschreiten sie die ihnen gebührenden Schranken, hier spricht die Natur.“

REMER.

XVII.

„Schmerz und Blutung nach dem ersten Beischlaf sind dennoch unsichere Kennzeichen der vorher unversehrten Jungfrauschaft.“

SIEBOLD.

